

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

4

gesta scribere. Confirmationem Pippiniana & Carolina Donationum, & Sardinia Donationem, Edicto quod incipit, *Ego Ludovicus*, expressam ab eodem Imperatore suscepit, Bernardum Viennensem Archiepiscopum Pallio donavit. Ad ipsum litteras dedit Abbas Sanctissimus, & Fidei adversus Iconomachos propugnator egregius *Theodoros Studita*, suo & aliorum Abbatum Fidei gratia expulso nomine, quas Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 817. descripsit. His literis Paschalem ita compellant Sancti Confessores: *Audi, Apostolicum Caput, à Deo prepositi Pastor ovium Christi, lanitor Regni celorum, Petra fidei, super quam aedificata est Catholica Ecclesia! Petrus enim tu, Petri Sedem exornans & gubernans. Lupi graves irruerunt in caulam Domini. Persecutionem patitur Christus cum Matre & Ministris. Siquidem contra imaginem incursum, prototypus est persecutio. Hinc denotio Patriarchalis Capitis, & exilia, & relegationes Archiepiscoporum, & Sacerdotum, & Monachorum, Monacharumque, & compedes & vincula ferrea, tormentaque, & ad extremum mors. Altaria delata sunt, templa destructa, sacra profanata, effusus est sanguis, & effunditur eorum qui retinent Evangelium. . . . Huc igitur ab Occidente, o Christi imitator, resurge, & ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es à Deo ad hoc ordinatus. Porrige manum quantum fieri potest. Habes potestatem à Deo, eo quod omnium Princeps es, in quo positus es. Terreo, supplicamus, hereticas foras calamo divini verbi tui. Pastor Bone, pone animam pro ovibus, supplicamus. Audiat Ecclesia qua sub celo est, quia à vobis anathematizantur per Synodum qui hec ausi. Inscriptur Epistola: In omnibus summa virtute praedito, Lumini magno, Principi Sacerdotum primo, Domino nostro Apostolico Papa Paschali.*

Ad eundem Pontificem recens creatum Apocripharios misit *Theodoros Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus*, quos ille velut fures rejecit, ut restantur *Theodoros Studita*, alique Monasteriorum Praepositi in altera Epistola ad Paschalem Papam missa per *Epiphanium*, quam refert *Baronius* ad annum octingentesimum decimum - octavam. Sic Pontificem itis literis compellant: *Re ipsa cognovimus manifestum Apostolorum Principia successorem Romanam Ecclesiam praesidere, certoque nobis persuasimus, Dominum Ecclesiam nostram minimè deseruisse, cui unum solique auxilium a vobis habemus, atque ab ipso exordio, in occurrentibus molestiis, Dei providentia concessum est. Vos igitur illimis ac sinceris ab initio fons orthodoxa veritatis. Vos adversus omnem hereticam procellam tranquillius sepositus portus Ecclesiae universae. Vos à Deo electa civitas refugii salutis, &c. Quas potuit, Ecclesia Constantinopolitana tulit suppetias Paschalis Pontifex, litteras scripsit gravissimas contra Iconomachos, ut *Theodoros Studita* testatur Epist. 62. 63. lib. 2. Cod. Column. & Monachis Graecis ad Ecclesiam Romanam gremium confugientibus Monasterium apud *Sanctam Praxedem* extruxit, dotavit, ornavit, de quo legendus *Anastasius* in ejus Vita.*

Paschali Primo conspicua se praebuit Virgo & Martyr Sanctissima *Cecilia*, etque corpus suum revelavit, quod aureis velatum indumentis sanguine adhuc infusus à Pontifice inventum est, cum corporibus SS. Martyrum *Valeriani* ejus sponsi, *Tiburii*, *Maximi*, necnon *Urbanii* & *Lucii* Romanorum Pontificum; quae una transtulit in Ecclesiam *S. Ceciliae* nomine nuncupatam, quam instauravit, ornavitque: ut Monasterium sub honore SS. *Virginum* & Martyrum *Agathae* & *Ceciliae* juxta eandem Basilicam extruxit, in loco qui dicitur *Collis*

A Iacensis, in eoque munificè dotato Monachorum Congregationem instituit, qui quotidianas laudes in Titulo *S. Ceciliae* Deo perolverent. Hæc translatio anno octingentesimo vigesimo primo facta est, secundum *Siebertum*. De qua legenda est ipsius *Paschalis I.* Epistola, & *Anastasius Bibliothecarius* in Vita ejusdem Pontificis.

Lotharium Caesarem *Ludovici Pii* filium Romæ Imperatorem coronavit Paschalis Pontifex anno Christi octingentesimo vigesimo - tertio, ut Auctor Anonymus in Vita *Ludovici Pii* testatur. Captivos innumeros redemit; incendium inmane suis precibus extinxit, Ecclesias Urbis variis ornamentis auxit, de quibus legendus *Anastasius Bibliothecarius*. Obiit pridie Idus Maias anno 824. cum annos septem, menses tres, & dies sexdecim Ecclesiam rexisset.

ARTICULUS IV.

De Eugenio II.

Paschali defuncto, post dies quatuor de successoris electione actum, in qua dissentientibus suffragiis, schisma pene ortum, sed *Eugenii* Archiepiscopi *S. Sabinae* electio legitima, nobilium patrocinio & favore vim sortita est. Is pietate, doctrinâ, beneficentiâ non solum in pauperes, sed in omnium Ordinum homines singulari, pacis studio, aliisque virtutum gradibus ad supremam dignitatem culmen ascendit. Ejus permisso Gallicani Episcopi Parisios anno Christi 824. convenere, de sacrorum imaginum cultu collaturi. Ad *Eugenium* post istam Collationem *Ludovicus* & *Lotharius* Imperatores scripsere, & collectas ab Episcopis SS. Patrum sententias controversiam illam spectantes misere per Legatos *Jeremiam Senonensem Archiepiscopum*, & *Jonam Episcopum Aurelianensem*, qui Sedi Apostolicæ officia sua offerrent, non docendi Romanam Ecclesiam ac Pontificem auctoritatem sibi arrogarent, ut *Ludovicus Pius* in Epistola sua profiteatur. Lege qua de Conventu Parisiensi in causa sacrarum imaginum scripti in Dissertatione adversus veteres novosque Iconomachos, Saeculo VIIII.

Frequentem Romæ Synodum celebravit *Eugenius II.* anno DCCCXXVI. die XV. Novembris, ut Ecclesiasticæ disciplinae consuleret. Octo & triginta in ea conditi sunt Canones. Tribus prioribus consecrandorum Episcoporum dotes ex Pastoralis S. Gregorii exponit, cavereque ne ullus præmiis ordinetur, alioqui pœnis à Concilio Chalcedonenſi decretis subjaceat. Quartus indotos Sacerdotes à sacris ministeriis suspendendos statuit, donec edocti fuerint. Quintus Episcopum consecrari vetat, nisi à Clero & populo postulatum, & ex Ecclesiæ vacantis gremio, nisi forsitan dignus Episcopatu in ea nullus esset. Prohibet etiam aliquem invitum consecrari, quamvis urgente necessitate. Canon sextus Episcopos residere jubet, nec eorum absentiam vult excusari, nisi forte per justissimam Metropolitanam vel Principis, ex necessitate contingat: quia absentia Episcopi plerumque fit calamitas plebis. Statuit Canon VII. ut juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici Discipulis Ecclesiasticis vacent: utinamque sit eis refectorium, ac dormitorium. II vero ipsis præponantur sub Episcopo, quorum vita & doctrina illis sit honori ac ornamento. Canon octavus Presbyteros in Ecclesiis Baptismalibus ordinari suadet ab Episcopis, cum Parochianorum assensu. Canon nonus in Congregationes Clericorum plures admitti vetat, quam ali possit ex facultatibus Congregationi canonice attribuit. Canon decimus Sacerdotes nullos ordinarî

S. Theodori Studite ad Paschalem I. dicitur.

Ecclesia Romana fons illimis ac sinceris ab initio fons orthodoxa veritatis.

Translatio corporis S. Ceciliae.

Conventus Parisiensis Gallicanorum Episcoporum unius, indeque ad Eugenium II. missi Legatio.

Romana Synodus ab Eugenio II. congregata.

Summa Cas nonum.

Episcoporum relicta.

Seminariis.